

(Prov. Rom.).

## † R. P. Claudius Benedetti.

(Prov. Rom.).

Ultimo die mensis februarii h. a. ad finem vergente Romae in domo generalicia vitam longam et laboriosam finivit hic sodalis venerandus et carissimus, cuius memoriam tempori edaci fugacique obfuscandam tradi non licet.



P. Claudius Benedetti loco honesto in oppido Falvaterra dioecesis Verulanae in Latio inferiore natus est die 30 augusti a. 1841. Fratres eius omnes vitam civilem elegerunt, Claudius vero puer seminarium dioecesis nativae ingressus in studia humanitatis ac deinde in philosophiam et theologiam incubuit, donec die 10 iunii a. 1865 sacerdotio initiatus est. Aliquot annis post episcopo permittente Romam petiit, ut in universitate litterarum, quae glorioso Sapientiae nomine insignis ante urbem

armis Pedemontanis captam academiae ecclesiasticae laude floruit, legibus operam daret, ac tandem, cum examinibus summa cum laude superatis utriusque iuris lauream adeptus esset, in dioecesim suam rediit, ubi, cum in ecclesia cathedrali locus canonici paenitentiarum vacaret, competitoribus omnibus concursu praescripto longe superatis vix triginta annos natus ad hunc canonicatum assumptus est et simul in seminario episcopali theologiae moralis cathedram ascendit. In seminario capituloque deinde ab anno 1872 ad 1878 in operam suam duplicem incubuit.

Dum autem canonicus doctrinae, ingenii, prudentiae apud omnes summam laudem habet omnesque eius ascensum ad altiores hierarchiae gradus

praesagiunt, ipse animo ad altiora non coram hominibus, sed coram Deo petenda ferebatur. In dioecesi Verulana antiquitus duae nostrae domus exstant, Frusinonensis et Scifellana. Scifellis tum Claudius noster praeter alios praesertim P. Mucciardini familiaritate usus est. Ex hac familiari consuetudine paulatim certum consilium ortum est relictis omnibus, quae in ecclesiasticis etiam dignitatibus exspectare posset, in vitam religione absconditam se recipiendi. Ut vero omnium contradictiones interpellationesque evitaret, excepto solo episcopo suo, a quo etiam manu ad crucem pectoralem admota silentii promissionem extorserat, omnes amicos familiaresque suos usque ad discessum e seminario rem totam celavit. Sub finem anni 1878 in domo nostra generalicia noviciatum ingressus, et cum contradictiones non leves parentum constantia firma superasset, secundum constitutionem tum vigentem venia a Rmo P. Mauron accepta iam die 27 iulii a. 1879 ad s. vota nuncupanda admissus est.

Talis hominis ingressum etiam Congregationi valde profuturum esse neminem fugere potuit. Brevi post, quam ipse vota religiosa fecit, a. 1880 noviciorum magister creatus est, deinde vero theologiam dogmaticam in studentatu, qui in domo generalicia erat, docuit. Anno 1887 Pesinae tum domus superior tum iuvenatus director constitutus est. Eo tempore, quamquam ea re non eminebat, etiam in pulpitem saepe prodiit, ut ceterorum Patrum praedicandi verbi Dei studium excitaret. Tribus annis post in domo Monteronensi Romae superior simulque provinciae Romanae procurator et Patris Pfab, qui Clemente nostro inter Beatos relato munus postulantis causarum beatificationis et canonisationis deposuerat, etiam in hoc munere successor factus est. Et iterum tribus annis post a. 1893 in domum generalicium vocatus est, in qua usque ad ultimum vitae diem mansit.

Postulatio causarum Servorum Dei his plus triginta annis negotium eius praecipuum et in Congregatione unicum fuit, in quo egregias ingenii sui dotes eximie manifestavit. P. Pfab successori S. Clementem inter Beatos relatam, S. Gerardi causam ad virtutes heroicas declaratas perductam reliquit. P. Benedetti statim ad novum laborem subeundum se cinxit, et iam die 29 ianuarii a. 1893 fratrem Gerardum inter Beatos relatam laetabundus vidit. Undecim annis post, die 11 decembris a. 1904 Gerardus, post quinque annos, die 20 maii a. 1909 Clemens M. ad Sanctorum honores elati sunt. Praeter operam autem ipsam publicam in S. Rituum Congregatione impensam, de qua multa magnaue volumina testantur, quibus processuum apostolicorum Compendia, Positiones, Novae Positiones aliaque huius modi continentur, ipse causarum actor iam a. 1893 vitam edidit Beati Gerardi, quae, ut mos est, in sollemni beatificatione distribueretur. Eandem retractatam et melius adornatam a. 1904 in canonisatione iterum edidit. In sollemni vero S. Clementis canonisatione

compendium vitae novi Sancti distribuebatur, quod P. Benedetti ex opere P. Haringer contraxit et, ut ipse dicit, ad Italorum indolem melius accommodavit. In quos libros conscribendos, praesertim cum tempore premeretur, tantam operam impendit, ut saepe noctes scribendo duceret.

Dum itaque in his duabus causis conficiendis laborat, simul suum esse existimavit, ut aliorum quoque sodalium nostrorum, qui ea laude digni viderentur, sanctitatem probandam coram ecclesiae tribunali sive inciperet, sive proveheret pro viribus. Quam multi vero sodales defuncti hac ratione ob oculos ei versati sint, ex *Albo Servorum Dei* cognoscere licet, quod anno 1903 conscriptum Romaeque typis editum Rñño P. Raus quinquagesimo a nuncupatis ab eo votis religiosis anno obtulit. Labore deinde improbo effecit, ut Venerabilium Ianuarii Sarnelli et Ioannis Nep. Neumann virtutes suprema Summi Pontificis auctoritate heroicae declararentur. Nihil autem antiquius in his causis habuit, quam ut sodales inter populos catholicos laborantes fidelium fiduciam erga hos Venerabiles Dei Servos excitare et augere studerent, qua miracula ad eorum gloria complendam necessaria impetrarentur. Ipse interea novas semper Servorum Dei causas incipere perrexit ac pro viribus provehere. Et si quondam, quod speramus, Servos Dei Cafaro, Sportelli, Blasucci, Passerat, Donders, Di Netta, Ribera, Stoeger ad altarium honores perduci contigerit, eorum gloria semper cum primo causarum eorum actore et promotore P. Benedetti iuncta manebit.

In his autem laboribus P. Benedetti ingenio suo tantopere in S. Congregatione Rituum eminuit, ut, cum causa Ven. Servi Dei Antonii M. Gianelli ob difficultates contra virtutum eius gradum heroicum motas paene desperata esset, ipse Eñus Congregationis Praefectus sororibus Congregationis a Servo Dei conditae suaderet, ut patronum causae P. Benedetti obtinere niterentur. Quod quare quoque eventu susceperit, Antonio M. Gianelli inter Beatos iam relato notum est. (*Conf. Anal.*, IV, pag. 156).

Hic etiam convenit commemorare P. Benedetti cum Servo Dei Aloisio Guanella, Congregationum Servorum caritatis et Filiarum providentiae fundatore, cuius causa beatificationis iam agitur, familiari amicitia iunctum fuisse. Quindecim annos Servus Dei in tot laboribus tamque operosa sua actione apostolica Patris Benedetti consiliis usus est eique ducenti se commisit.

Ingenii acumine porro doctrinaeque elegantia P. Benedetti, cum multi Cardinales Praelatique ea in S. Rituum Congregatione cognovisset, vulgatis factum est, ut in aliorum quoque tribunalium et congregationum curiae Romanae labores asciscetur. In tribunali S. Signaturae Apostolicae, in SS. Congregationibus Religiosorum et negotiorum ecclesiae orientalis consultoris muneribus functus est. Sed etiam in aliis dicasteriis operam praestitit et in Codice iuris canonici componendo pars magna fuit, ita

ut ipse Eñus Cardinalis Petrus Gasparri non semel illo tempore in domo nostra generalicia ad consilia conferenda eum adiret. Et ipsos Summos Pontifices Leonem XIII, Pium X, Benedictum XV maximi eum fecisse notum est. Visitatoris quoque Apostolici munere in nonnullis institutis religiosis iubente Summo Pontifice functus est. Cum SS. D. N. Pius XI ad S. Petri cathedram evectus esset, P. Benedetti iam senio confectus rogarat, ut muneribus liberaretur.

Nec minus in Congregatione nostra prudentiam sagacitatemque eius et superiores et sodales noverant. Bis capitulis generalibus (a. 1894 et 1909) a capitulo provinciae Romanae electus interfuit. Cum vero anno 1920 ad capitulum generale anni proximi vocales provinciae Romanae eligerentur, quamquam domui generaliciae ascriptus erat, quae ad nullam iam provinciam pertinebat, tamen concordibus omnium capitularium suffragiis primo scrutinio vocalis creatus est. Memoria autem dignum est, quod in Actis capituli generalis anni 1921 (pag. 2) legitur: « Attamen cum R. P. Claudius Benedetti iterum atque iterum ob graves profecto rationes iuri suo renuntiasset, primus supplens R. P. Benedictus D'Orazio ipsi suffectus est, unanimiter approbante capitulo, postquam Pl. R. P. Superior prov. Romanae declaraverat se iteratae renuntiationi, licet aegre, impraesentiarum accedere ».

Idem P. D'Orazio anno sequenti 1922, cum P. Benedetti etiam munere postulatoris se abdicavisset, ipso rogante ei suffectus est, ex quo tempore tandem senex plus octoginta annorum quiescere potuit. At otio ne tum quidem se dedit, cum successorem praesertim suum in causarum Servorum Dei negotiis adiuvari simul et erudire pergeret. Animi eius sagacitatem tum quoque admirari omnes potuerunt, cum in solvendis casibus moralibus eius et theologiae moralis S. Alphonsi Codicisque peritiam et mentis aciem considerabant, qua, quidquid in solvenda quaestione spectari posset vel deberet, fulgentibus oculis perspiciebat claraque expositione proponebat. Qua in re id unum fortasse interdum aegre ferebant sodales, quod, cum dicere incepisset, loquendi finem facere non posse videbatur.

In P. Benedetti indole vis quaedam et ingenium pertinax, ut ita dicam, insita esse visa sunt, quibus id, quod sibi proposuerat, persequens non desistebat, donec rem obtinuit. Id in causis Servorum Dei, quae haud raro difficultatibus arduis impediabantur, evincendis admirandum erat. At in usu cotidiano caritate fraterna et humanitate usus est, quam merito aequae mirareris. Haec autem tam in gerendis negotiis pertinax constantia quam in familiari consuetudine humanitas atque caritas solidae firmaeque virtutis basi nitebantur et vitae vere internae atque umbratilis fructus erant, cuius desiderio olim Congregationi nostrae nomen dederat. Congregationis semper fuit amantissimus eiusque non minus quam ecclesiae

Deique honori provehendo opera laboribusque suis servire unice studuit. Orationis amore multum temporis coram SS. Sacramento exegit, et nisi infirma valetudine impeditus, quamquam a recreatione iam senex abstinebat, a meditatione communibusque domus exercitationibus numquam defuit. Cum et corporis et animi vires eum tandem deficere coepissent, et aegre iam nec nisi altero sacerdote astante sacrum facere posset, ultimis denique paene vitae diebus lacrimans se ab eo faciendo desistere debere querebatur.

Aetate confectus tandem, sinistra corporis parte nervorum remissione debilitata, sed mente semper vegeta sui compos, cum quindecim fere dies decubisset, s. sacramentis rite munitus pridie Calendas martias vespere hora fere decima placide animam optimam Deo reddidit. Cui S. P. N. Alphonsum cum Sanctis Clemente et Gerardo omnibusque sodalibus, quorum honori in terris provehendo tantum laboris tribuerat, laetos obviam factos esse confidimus. R. i. p.!